

prae se ferant, solidae tamen non sunt. inquit *Brochmand. Syst. Theol. Tom. I. p. 846.* Nam Angelus Matth. I, 21. diserte deducit originationem nominis Iesu a ישו fas ergo vix erit aliam eidem originationem attribuere, nomen hoc propriissime tribui Domino Iesu res ipsa euincit, nam solus liberat & saluat homines a peccato & morte aeterna Matth. I, 21. Act. IV, 12. Licet itaque nomen *IESUS* aliis quoque impositum fuerit, utpote *Iosuae*, Syr. XLVI, 1. *Filio Iosedeci*, C. XLIX, 14. *Syracidi*, C. L, 29. *Iusto*, Col. IV, 11. hi tamen aut nullam attulerunt populo salutem, aut si quam attulerunt, fuit tantum mundana & politica, nam *Iosua* introduxit Israelitas in terram Canaan et diuisit eam tribubus Israel, quae quidem fuit salus magna, sed corporalis et externa. *Iesus* Filius Syrach contulit bonas sententias in unum libellum, quae et ipsa salus est non contemnenda, verum externi tantum Doctoris, non vero liberatoris. Solus ergo Mariae Filius est, cui res isthoc nomine significata proprie conuenit.

§. V.

Nec ut de voce *CHRISTI* multa commentemur, operae requirit pretium, dum hoc in negotio dudum nobis ferias fecere Doctores. Nomine hebraeo משח aequae ac graeco χρῖστος (non χρηστος utilis) unctum designat Veteri Testamento non infrequentem, ubi per solennem unctionis ritum inaugurabantur & officiis admouebantur *Sacerdotes*, Exod. XXVIII, 4. C. XXIX, 7. Lev. IV, 3. C. VI, 22. Num, III, 3. C. XXXV, 25. et *Reges*, Iud. IX, 8. 1 Sam. XV, 1. 17. C. XVI, 13. 2 Sam. II, 4. C. V, 17. 1 Reg. I, 34. C. XIX, 15. 2 Reg. IX, 3. Ita quoque unctus dicitur noster Seruator, iam tum in V. T. Pf. XLV, 8. Ecl. LXI, 1. Dan. IX, 24. quamobrem Versio Germanica V. T. eum expresso nomine *Christi* compellat conf. Dan. IX, 25. 26. Praeprimis unctionem oleo Spiritus factam ei adscribit codex N. T. utpote Luc, IV, 18. Act. IV, 27. C. X, 38. qua mediante unctus est in *Sacerdotem*

tem